Q. D. B. V.

De Peccatis & Poenis Brutorum,

ad Genes. IX. v. 5. comma prius,

Wer Mensch Blut vergeusset/ des Blut soll auch durch Menschen vergossen werden/

disputabit

SUB PRÆSIDIO

Viri Summe Reverendi atque Magnifici

DN. JO. FRIDERICI MAYERI,

Doctoris & Professoris Theologi, Alumn. Elect. Ephori, & Templi omnium Sanctorum Præpositi Substituti,

Domini Patroni sui devenerandi,

Respondens,

M. CHRISTIANUS ANDREAS SIBERUS,

IN AUDITORIO MAJORI,

D. XII. JANUARII, MDCLXXXVI.

RECUSA WITTENBERGÆ,

LITERIS JOHANNIS GODOFREDI MEYERI, (4)

ANNO 1717.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



I. N. J.

De Peccatis & Pœnis Brutorum,

Dissertatio Theologico-Moralis

ad Gen. IX. v. 5. comma prius,

CAPUT I.

SUMMARIA.

Occasio effati. De sangvine vetito Thomæ Bartholini & Curcellæi sententia. Ordo dissertationis. אך *particula non hoc loco causalis contra Pererium, & Bonfrerium, nec adversativa contra Burgensem. Explicatur e Kimchio. Coccejus notatur. Duplex Synecdoche animadvertitur. Authoritas Bezæ & Budæi. Gatakerus in subsidium vocatur,* דרש *verbum forense e Seldeno.* חיה *ad bestias restringitur. Samaritanus Codex notatur.* מיד *qvodvis instrumentum designat e Glassio. Disceditur a Bochorto,* כל *explicatur e Noldio.*

§. I.


Agnum certe ac memorabile bonitatis divinæ ſpecimen extitit, qvod fatali diluvio genere humano deleto, tantum unius mortalis pietati ac integri moris rectitudini dederit, ut ipſi parcens, pœnæ modum fecerit, & ex ingenti prope totius mundi naufragio incolumen ipſum cum ſuis ſervaverit. Etenim cum paulatim aqvæ receſſiſſent, rediiſſentqve in priora litora maria, & priores ripas repetiiſſent flumina, emergentibus terris, reductaqve priori ſerenitate ac commoda cœli temperie, prodierunt juſſu Numinis ex arca, exſoluti metu ac liberi homines fatentes divina tantum ope ex internecione & deploranda ſtrage ſeſe ſervatos. Anteqvam vero ad terræ cultum ſe verterent, victumqve & legumina, qvæ vitæ ſufficerent, agricultura & dura opera qværerent, promiſſo & fœdere divino confirmabantur. Benigniſſimum nempe Numen conſulturum neceſſitati humanæ & indigentiæ, liberali mandato uſum omnium, qvæ terrarum pariter ac aqvarum tractus poſſident, animalium conceſſit, utqve horum carnibus, fame preſſi, pellibus in tegumenta corporis & arcendas frigoris injurias, fruerentur, benigne permiſit. Ut vero ſocietas humana ſanctiori vinculo conſtaret, neve alter in alterum, qvod peſſimo exemplo in anteacti mundi primordiis acciderat, violenter graſſaretur, ac fratris ſangvine manus pollueret, ſevera lege ac gra-

graviſſimarum pœnarum minis prohibuit ac interdixit. Neve animus ad deteriora pronus alias ac proclivis externis qvoqve irritamentis incitaretur, ac efferis truculentisqve motibus agitaretur ſubinde, ſangvinem animalium in cibis noluit, & ſtillantes recenti cruore artus, ne ori admoveant, prohibuit. Qvo qvidem ego illud inficiari nolo, qvod *Thomas Bartholinus* & *Stephanus Curcellæus* autumant, Numen, ut ſapientisſimum auctorem naturæ, voluiſſe & ſanitati humanæ proſpicere, & caviſſe lege, ne paſcerentur ſangvine, ne graves ac difficiles morbos, cum qvibus luctandum diu, fœda ſangvinis eſca contrahereut & in corpus ſenſim qvoqve a priori vigore recedens derivarent. De eo vero amplius dubium eſſe non poterit, humanas cœdes & profuſum temere ac privato auſu mortalium ſangvinem deteſtari Numen, adeo ut a brutis, qvibus rationis uſus non eſt, qvæqve nec in jus vocari propterea poſſunt, id impune fieri nolit Geneſeos IX. v. 5.

ואך את־דמכם לנפשתכם אדרש מיד כל־חיה אדרשנו

Verſio vulgata:

Sangvinem enim animarum veſtrarum reqviram de manu cunctarum beſtiarum &c.

Qvod dictum cum in illuſtri poſitum monumento ſit, & eo ſecuritati mortalium ac ſaluti proviſum ac proſpectum, viſum mihi non ſine ratione fuit, eo ingenium animumqve dirigere immerſusqve utilisſimis cogitationibus, qvæ mens ac ſententia in eo lateat, idoneis

argumentis explorare. Mihi vero antea limites ponam, describamqve orbitam, ex qva vagari non posim si vel maxime velim, & de qvibusdam vocibus, postqvam nonnulla c. I. docuero, sententiam qvæ maxime ad veritatem accedere videbitur, c. II. amplectar, & qvam iniqve nonnulli ac perperam inde ineptæ an injustæ causæ de peccatis Brutorum præsidium qværere velint, c. III. ostendam. Qvod institutum lubricum ac perdifficile ut feliciter exeqvar, implorato precibus numine auspicabor.

§. II.

Primo qvidem in eo Interpretes hærent, qvam significationem particula אך hic sibi adsciscat, cujus fluctuationis ratio ulla alia haud est, qvam late patens ac varia acceptio. Eqvidem ii, qvibus vulgata versio in pretio est, (cui calculum h. l. addunt LXX. senes, qvi per καὶ γὰρ exprimunt,) qvo vimejus tueantur, causalem faciunt, ac si hoc commate prioris interdicti ratio ac causa pateat: qvorum agmina ducunt *Bonfrerius*, & *Pererius*, qvi eodem instituto, prolixiorem sensum intelligi debere audacius asserit, qvi cum per præteritionem qvandam omissus sit, nescio an pia ratione, id qvod deficit, hunc in modum supplet: Nolo autem vos sangvinem humanum fundere, aut cibi, aut vindictæ, aut voluptatis, aut cujuscunqve rei causa. Nam sangvinem vestrum reqviram de manu omnis bestiæ. Verum si ea licentia mox inserendo, mox delendo aliqvid interpretatio foret, nescio qvid demum effingere liceret. Ultra virtutem certe Interpretis sacri egit, apud qvem &

verbo-

verborum ordo myſterium eſſe debet; qvod & *Bonfrerius* tempeſtive agnovit, ac propterea qvoqve nec in ipſius opinionem tranſiit. *Paulus vero Burgenſis & Cajetanus* hanc particulam adverſativam eſſe volunt; qvibus & *Mathias Thoringus* accedit, qvamvis diverſo modo mentem ſuam exponant. Sed hæc applicationes apud nos valere haud plus poſſunt, qvam Vulgatæ authoritas, cum ab eo proculdubio proceſſit, qvi vix tenui Hebrææ lingvæ aura afflatus fuit. Itaq; cum ad graviſſimæ & nunqvam labefactandam legem a temporaria & N. T. abrogata fiat progreſſus, ſanctionis fundamentum ea vocula Spiritus S. voluit, ut ſumma, qvæ in eſt, certitudo liqvido appareat. Qvapropter & nos *Pagnino, Iunio & Tremellio* & *Piſcatori* non habemus contradicere, qvi per profecto reddunt, proculdubio a *Kimchio* edocti, qvi *Seph Haſchor* p. 16. hoc in negotio vocat אך לאמת דבר ach veritatis rei. Nulla ratione itaqve in ſententiam *Cocceji*, Lexico p. 31. ire poſſumus, qvi per forſitan reddi maluit, cum alias ſenſus conſtare non poſſit, aut dubius oriatur, qvod tamen & gravitas negotii vix permittere poteſt.

§. III.

Nunc exponendum venit, qvid per repoſcere ſangvinem intelligatur. Sangvinem per ſchema Hebræorum conſvetudini uſitatiſſimum cœdem notare *Beza* ad Matth. XXVII, 25. obſervavit, qvod dicendi genus & apud Græcos occurrere ex lectione probatorum auctorum ſatis patet. ἐκζητεῖν τὸ αἷμα, ut LXX. exprimunt, idem eſt ac phraſis qva utitur *Johannes* Apocalypſ. VI. 10. ἐκδικεῖν τὸ αἷμα, qvod idem eſt cœdem alicujus vindicare,

&

& cum διεκδικεῖν incidit, qvod pari significatione sæpius in Pandectis Græcis legi asserit *Guil. Budæus* Comment. Græc. lingvæ p.m.124. Et Hebræum, qvod in fontibus reperitur דרש de inqvisitione qvæ in forensi judicio fit, pari modo explicat *Joh. Seldenus* l.IV. de l. Nat. & Gent. c.I.p.475. Paria facit verbum בקש 1. Reg. XX. v.16. qvod est cum conatu & studio qværere, ut observat *Joh. Lorinus* ad Psal. IX.13. Ps. XXXVII.13. Nec inficior factam h.l. translationem ab ea consvetudine, qva proximus consangvineus & necessarius occisi perseqvebatur occisorem, atqve supplicium de eo sumebat, qvi in sacra lege גואל הדם vocabatur, cuiqve integrum erat, citra cognitionem forensem mortem inferre reo, & manibus occisi propinqvi cœde percussoris parentari *Selden.* l.c. Animæ vero hic totum hominem, per tropum qvem synecdochen Rhetores vocant, notant. Qvod freqvens est & sæpius apud Hebræos occurrit, ut Gen. XLVII. v.26. Levit. II. v.1. Psalm. XVI. v.10. Vid. *Drusias* Præterit. lib. II. p.74. LXX. non inqvinate aut qvod abhorreret a Græcæ lingvæ integritate expresserunt per αἷμα τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Nam & profani authores hæc dicendi modo usi sunt ut Theocritus Idyll. 16. v.24. ἀλλὰ τὰ μὲν ψυχῇ τὰ δὲ καί τινι δῶναι ἀοιδῶν. Et Euripides in Helena & Homerus Iliad. α. ψυχὰς πολλὰς i.e. homines occubuisse tradit. Ut Latinos præter Ciceronem prætereeam, qvi l. 14. Epist. fam. 14. dicit: Vos meæ charissimæ animæ qvam sæpissime ad me scribite. Vid. *Thom. Gatakerus*, de stylo N.T. c.X. p.103. Qvod si nunc sine troporum colore rem expendere, & simplicem sensus indolem referre velimus, erit: & certe cœdem hominum vestrorum vindicabo.

§. IV.

§. IV.

Id vero præterea ambiguum eſt, an per חיה, omne vivens, ut *Samariatnus* Interpres reddidit, intelligendum adeoqve idem valeat Græcum ζῶον aut ἔμψυχον, cum animali vita ſit propria, & jam homines pariter ac beſtiæ in cenſum veniant. Etenim Hebræor. ſapientes animalium genus Græcorum more dividunt in λογικὸν & vocant חיה מדברת, animal loqvens, qvale qvidem præter hominem nullum eſt, & ἄλογον qvod חיה בעיר animal brutum dicunt, qvodqve in ſacro codice Pſalm. XXXVI. בהמה vocatur. Vid. *Bochartus Hierozoic.* l. I. c. I. Nos qvidem jam LXX. ſenibus calculum addimus, qvi per τῶν θηρίων explicant, ut adeo homini opponatur, qvoniam in hoc ipſo verſu ſeqventi commate hominis mentio fit, qvi ſi per חיה qvoqve intelligeretur, proculdubio battologia foret, & cum tædio conjuncta inanis repetitio.

§. V.

Conſulatio nunc eſt an מִיַּד, proprie exponendum ſit, an ut redundans negligendum, ut tantum præpoſitio a vel ab intelligatur, ſi Cl. *Bochartus* hunc locum exponendum ſuſcepiſſet, haud dubito qvin verbum verbo reddendum cenſuiſſet, utpote qvi c. I. Sam. XVII. v. 37. Dominus qvi me eripuit e manu leonis & e manu Urſi. & Dan. VI. v. 27. liberavit Danielem e manu מן יד leonum omnem redundantiam excludit, & propriisſime ſumi cupit, contenditqve anteriores leonis pedes, qvibus potisſimum diſcerpit, dum poſterioribus nititur, vere & proprie dici manus, qvod & ex Arabum monumen-

tis comprabat, eqve Græcorum ſcriptis magno ardore animi evincere nititur. Adducit qvod Oppianus l. III. Cynegoti*κῶν* leonem Δεξιτερὴν ὑπὸ χεῖρα geſtare promptam torpedinem, qva omnia ſolvat ferarum genera, hyenam vero pari virtute præditam ἐν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ex Æliano l. VI. Hiſt. Animal. c. 14. Ariſtotelem vero pedes leonis πενταδακτύλους vocare in eo libro qvo animalium, qvorum indagationem Alexander M. juſſit & impenſis juvit, naturas certius & perfectius commentatus eſt. Hierozoic. l. III. de Natura Leonum. Multo magis mauus tribuit urſis, cum præter Ariſtot. l. 2. c. I. Oppianum l. III. v. 144. l. IV. Plutarchum de cauſis naturalibusq; qv. 22. Alcazuinum Arabem Pliniumq; in cenſum vocat, qui l. VIII. c. 36. dicit: Urſos urgente vi, ſeſe præcipitaturos ex aliqva rupe manibus caput operire. Temeritatis foret cum tanto viro miſcere pugnas, cujus notitiam exterarum lingvarum & ampliſſimas doctrinarum opes orbis admiratur; liceat tamen vel ideo in contrarias abire partes, qvod a poetis plerumqve per abuſum a cœteris per ſimilitudinem ac metaphoram dicantur, partim qvod pleræqve beſtiæ, non adeo extenſis ungvibus præditæ ſint, qvæ digitorum loco eſſe posſint. Accedit, qvod eo vocabulo Hebræi libentius utantur, ut qvodvis inſtrumentum, per qvod aliqvid perpatratum eſt, iuuant. Vid. *Claſſius* Philol. l. III. Tr. 1. can. 38. Qvod nemini dubium ambiguumqve videri poteſt, ſi expenderit, & e manu ſepulchri, i. e. a ſepulchro Deum ſuos redemturum Hoſ. XIII. 14. capreas e manu laqvei effugere Prov. VI. v. 5. Et Mesſiam ardentisſimis precibus ſupplicare numen, ut e manu canis i. e. a

cane

cane liberet unicam i. e. dilectissimam. Psalm. XXII. v. 21. At canes non pedibus anterioribut discerpunt, in qvo tamen ratio Bocharti est, qvod manus ideo tribui debeant.

§. VI.

Id demum nunc addam vocem כל hoc loco non distributive sumi, sed secundum substratam materiam intelligendam esse, adeo ut jam ab omnibus bestiis Deus sangvinem reqvirere velit, iis nempe qvi cœde humana victum qværitant ut:

Armeniæ tigres, iracundiqve leonis.

Ut Psalmo CXLV. 14. sustentat Jehova omnes cadentes. Puta omnes, qvorum oculi fide ad Deum sunt intenti, alias etiam impios præcipitatos sustentaret, Multa exempla suppeditabit *Noldius* Concord. Partic. Hebr. p. 419. Qvi usum hujus particulæ justis interpretandi mediis accersitis exposuit.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Sententia de sensu dicti. Bereschit Rabba de qvatuor bestiis Danielis & Abarbanel refutatur. Ludovicus deDieu notatur. B Salomo accommodatur. Qvi populi homines bestiis objecerint. Faber JCtus laudatur. Parum Theodoreti & Irenæi sententiæ minus commodæ. Piscator rejicitur. Præcepta Noachidarum sex obligant homines, non bestias, Pœna an sine culpa esse possit disqviritur. Grotius & Soarius notatur. Premium & pœna non cadit in bruta, contra Kimchium. Exceptio de qvasi delicto & qvasi pœna. Damnum hoc loco unice spectatur.

§. I.

DIffusum vero & involutum multorum auctorum sententiis hoc argumentum est, qvod nunc juvat aggredi, & ex diversitate opinionem, verior qvæ videbitur, eligere. Videamus autem qvænam mens super hac re veterum Judæorum fuerit. Nonnulli, dum cum difficultatibus, qvæ se postea objicient nobis, colluctandum habent, figuratum sensum eligunt, atqve bestias de ד׳מלכיות seu qvatuor Imperiis in Daniele designatis capiunt, perinde ac si Numen ibi vindictam cœdibus etiam ab Imperatoribus per tyrannidem postmodum patrandis tum minitaretur. In *Bereschit. Rabba Parasch. 34.* fol 38. Sed cum hæc verba ad eam legem referantur, qvæ mortalibus id, qvo a cœde humana abstineant, ingerere debet, vix verisimile est, locum hic rei multis temporum spatiis post futuræ esse. Et multo minus audie ndi

diendi, qvi bestiam per vivens exponunt, ut tantum per restrictionem vivens rationale intelligatur, qvod connexio textus non admittit, ut priori capite §.4. diximus.

§. II.

Acuta porro est expositio *Isaaci Abarbanelis in Piruscb Tora:* fol. 46. cujus mens ut intelligatur, liceat verba ipsius exponere ex *Seldeni* versione; Et si forte putaveritis (sic Numen, ad loci explicationem loqvi fingit) hominem deesse posse, nec in orbe terrarum repertum iri, qvi in homicidam sententiam ferat, scitote plurimis modis posse me vindictam sumere. Ideoqve si desit homo qvi occisi sangvinem ulciscatur, a manu omnis bestiæ, seu ab omni bestia reqviram eam, veluti a bestia, qvæ dilaceraret homicidium. Et sic in eum sententiam exeqvar. Ubi vero fuerit homo, reqviram ab ejus manu sangvinem occisi, seu vindictam tanti sceleris. Nititur itaqve ejus sententia in expositione particulæ ביד qvam per significare vult; ut sensus sit vindicabo cœdem ita ut bestiæ instrumenta vindictæ sint. Sed veniam procul dubio dabit nobis, si dixerimus nullibi in SS. literis hoc sensu particulam reperiri, qvod enim apud *Es. L.11.* occurrit, commode exponi potest, a me factum hoc vobis, ut adeo præter necessitatem non novus usum cum *Ludovico de Dieu* excogitandus sit, ut serio interpretes præcipiunt. vid. Franz. de interpret.

§. III.

R. Salomo vero eum sensum, qvi felicissime ex verbis e-

lici poteſt ſeqvitur, cujus gloſſa ea eſt: Id qvod legitur a manu omnis beſtiæ (ſeu ab omni beſtia ſangvinem hominis reqviram) ideo adjicitur, qvia apud homines, qvi ante diluvium vixerunt, per impietatem mos invaluerat beſtias nocentisſimas nutriendi, ut ſcilicet earum auxilio commodius dominarentur. Eam ob cauſam neceſſarium erat, ut de animalibus (in uſum ejusmodi nutritis) moneretur. Atqve illud amplectitur qvodve *Grotius* in Notis ad hunc locum. Nec foret, ut illud adeo rejiceremus, niſi adhuc valde dubium eſſet, probationeqve egeret, qvæ qvidem difficillima videtur, ante diluvium qvosdam homines in cæteros dominatum & imperium qvæſiviſſe, utqve adipiſcerentur, beſtias carnivoras inter dominat9 inſtrumenta aluiſſe. Neqve enim omnium Gentium monumenta ſi pervolvimus, tantæ crudelitatis veſtigia in antiqvitate deprehendere poſſumus, niſi qvod apud Perſas Daniel, leonibus objectus & inaudito prodigio illæſus ab illorum faucibus ſervatus *Dan. VI. v. 22.* Et credo Romanorum civilem Gentem cruentis iſtis ſpectaculis non voluptatem oculorum capturam, niſi cædem ſuorum pœna talionis vindicare, juſtum viſum fuiſſet, ſiqvidem Amilcar Carthaginenſum Dux captivos ad ſe adductos ὑπεβάλε τοῖς θηρίοις, ut *Polyp. l. 1.* auctor eſt. Inde Africanus alter everſo inviſo Pœnorum imperio, exterarum gentium transfugas editis populo ſpectaculis, beſtiis objiciebat, qvod & L. Paulus Perſe Rege victo faciebat. Ac id Genus mortis pro ſummo ac ignominioſo ſupplicio habitum. Multum exactus in his ediſſerendis eſt *Petrus Faber Semeſtrium* l. 1. c. 18. l. 11. c. 7.

§. V.

§. IV.

In diverſas longe partes abeunt veteres Eccleſiæ Doctores, qvi argumentum ſumunt inde futuræ reſurrectionis, & reſtaurandorum integre hominum auſpicium capiunt, adeoqve ſibi perſvaſum habent, Deum ideo cœdes interdicere qvod aliqvando omnes homines priſtino Spiritu animatos reſuſcitare, & a beſtiis terreſtribus ſive marinis devoratos reqvirere e viſceribus & medullis veluti eorum revocare velit. Neq; enim alia ratione intelligere *Theodoretum* poſſumus, qvi ut *Johannes Picus* interpretatur T. I. Opr. Edit. *Sirmondi* qvæſt. in *Geneſin* qvæſt. LIV. inqvit. *Propterea & hoc loco dicit, veruntamen carnem cum ſangvine non comedetis &c. Hic inſinuat Reſurrectionem, non qvod beſtias vocaturus ſit in judicium, & de his ſupplicium ſumturus, eo qvod homines devoraverunt, ſed ut congregaturus corpora ab ipſis conſumta, & illa reſuſcitaturus. In manu enim ejus ſunt omnes fines terræ Pſalm. 94. verſ. 2. & eſt illi facile undecunqve corpus noſtrum congregare. Et hic qvidem iſtud indicat ſub obſcure &c.* Et qvamvis hæc ſatis pie meditatus ſit ſacer Antiſtes, non tamen credo id a Deo innui, propterea qvoqve recte a *Gerhardo* Comment. in h. l. repudiatur. *Irenæum* vero lib. V. adverſus Hæreſes cap. XIV. poſtqvam multa diſſeruit, qvemadmodum ſangvis Abelis clamaverit Gen. IV. 10. qvod Numen ſangvinem animarum de manu beſtiarum, reqvirere velit, qvod ſangvis juſti ab Abele usqve ad ſangvinem Zachariæ Matth. XXIII. 35. vindicari debeat, concludit: Non autem exqvireretur hoc, niſi & ſalvare haberet &c. ut adeo ipſius ſententia

ſit,

sit, hoc loco de salute hominum, cujus particeps corpus qvoqve humanum debeat esse, testimonium exhiberi. Non qvidem inficiandi locus est, magno pretio esse hominis sangvinem, ut qvi imago qvondam Dei, & portio Ecclesiæ, inde tamen certo certius concludi posse hominem salvari id minime concedendum puto, qvia alias omnes, qvorum sangvinem Deus reqvirere vult, fierent vitæ æternæ compotes.

§. V.

Nos eam sententiam amplectimur qvam *Rabbi Salomon* & alii Hebræorum magistri suam faciunt, & pleriqve Christianæ doctrinæ Interpretes seqvuntur, nempe Deum omnem bestiam, qvæ sangvinem humanum effunderunt, hominem nempe occidendo, puniturum, seu ordinarie per magistratum, de qvo legem tulit in Levitico, seu extraordinarie aliis modis, prout Hebræi de pœna cœlitus infligenda locum capiunt. *R. Bechai Bereschit* fol. 20. qvod cum nostrum facimus, amolimur statim *Piscatoris* h.l. commentationem, qvi hic locutionem catachresticam statuit. Qvod qvam hic non conveniat, cum omnis Metaphora absit, adeoqve nec durior adesse possit, ex Rhetorum libellis patet. Præterea, nefas qvodammodo est insolenti huic tropo ac mendacio simillimo in sacris literis, inq; materia gravi locum facere.

§. VI.

Id vero est, qvod jam nos exercet, cur nempe brutum rationis expers ob commissum homicidium puniendum

endum veniat, qvod anteqvam expediamus edisserendum prius, numne ea verba, qvæ nobis exponenda injuximus, partem legis faciant, & qvem obligationis vinculo obstringant, qvod a præsenti negotio, & ad indagandam eo expeditius veritatem, nemini videri potest alienum. Illud itaqve observandum, qvod qvando hominis conditio non ferret, ut sine lege viveret, actionesqve suas vago velut impetu, & citra respectum ad aliqvam normam ederet Deum communissima regula, ad qvam qvilibet homo se componere teneat, prospexisse. Atqve illa generalis regula, Lex Noachidarum, seu mandatum filiorum Noæ vocatur, & septem capitibus absolvitur, ubi vero septima non omnes obstringit. Nempe (1) de cultu extraneo f. Idiolatria. (2) de benedictione nominis divini (3) de judicibus (4) de effusione sangvinis (5) de incestu (6) de rapina (7) de membro animalis vivi non comedendo. Qvæ omnia fundantur in Talmudis Babylonici *Gemara Masseth Sanhedrin.* fol. LVI. col. 1. unde *Maimonides* qvoqve excerpsit, & videri possum in *Coccejo Excerptis Gemare* p. 268. & *Schikkardum* de Jur. Reg. cap. V. Theor. XVII, qvanqvam & ante Talmudis consarcinationem *R. Jose ben Chilpeta Præceptor Jehudæ sancti, authoris Mischnæ*, ea recensuerit *Seder. Holam rabba* cap. V. fol. VI. col. 2. Pertinet itaqve ad præceptum qvartum secundum recensionem *R. Bechai*, vid. Max. Rev. Dn. D. *Carpzov.* Not. ad *Schikkard.* p. 335. Secundum *Seldenum* vero I. N. & Gent. l. 1. c. 10. ad tertium. Etsi ullum ex his Noachidarum præceptis firmissimo fundamento nititur, altissimo eductum est qvartum illud, nempe verbis isti, in qvibus explicandis, occupati sumus.

§. VII.

Hæc itaqve lex obligationem ſuam in animis hominum debet exercere, ſi & cognitionem legislatoris & ipſius legis habent, qvæ cognitio, per promulgationem a legislatote factam acqviritur. Nam, promulgatio, ut *Molina* de Juſt. & Jur. tom. VI. tract. V. diſp. 70. ſcribit, non eſt ſolum conditio, ſine qva lex non obligat, ſicut applicatio ignis ad ſtupam eſt conditio, ſine qva vis ignis naturalis, qvam jam ante ignis ante eam applicationem integram in ſe habet, ſtupam non inflammabit, ſed eſt qvidpiam legis completivum, atqve adeo completivum vis ſeu virtutis legis ad ſubditos obligandum. Et Noachidis eam cognitionem ambiguam facere, nemo in animum inducere poteſt, ſiqvidem per ipſum Deum viſibili ſpecie, & humanæ vocis ſonitu aſſimulato v. l. innotuit, judæis vero pari modo, ſolemni promulgatione in monte Sinai, Exod. XX. & per ſanctiſſimos viros diviniori inſtinctu animatos; Cœteris gentibus vero non ignota eſſe potuit, qvod per naturalem rationem principio connato patuit & ex contemplatione mortalis conditionis erui potuit, Rom. I. v. 20. ſive jam voces illud ſignum ſignificativum, cum *Biele* & *Gerſone* de poteſtate Eccleſ. conſid. XIII. evadet fuiſſe Noachidis vocale, Judæis vocale & ſcriptum, ſeu prolatum literis, cœteris gentibus mentale, qvod fugiendum h. l. repræſentat, nempe cœdem humanam, & inde illicitum innoteſcit. Cum vero bruta nullum habeant intellectum, cui ſignum illud imprimi poſſit (nec enim omnibus imprimi adaptatum eſt, ſed ſoli creaturæ rationali) apparet,

apparet, ſolos & omnes homines ad hanc legem obligari. Et hoc habet peculiare rationale creatum, qvod ita ſubjaceat divinæ providentiæ, ut ſubjectum legis divinæ & æternæ velit eſſe *S. Thomas* 1.2.qvæſt. 51. art. 2. *Vaſqvez* h. l. Nec poſſunt ideo bruta obligari, qvia ratione carent, Lex autem eſt opus rationis. Neqve dicitur lex naturalis in homine, qvod per eam homo qvodam naturæ impetu ad actiones naturales feratur, ut bruta, ſed qvin per naturæ lumen ipſius menti impreſſum, movetur ad honeſte agendum *Petrus a S. Joſeph.* Theol. moral. cap. 11. reſolut. 2. Atqve omne illud accommodandum, qvod de Subjecto legis moralis Doctores orthodoxi profeſſi ſunt, qvod nempe ad *iſtud* ſola Creatura rationalis pertineat, ne Angelis qvidem a *Philippo Melanchtone* excluſis, qvoniam ad imaginem Dei conditis, per creationem lex qvædam inſcripta *D. Qvenſtedt Syſt. Theol.* P. III. de lege morali. Et propterea ad continuationem obedientiæ & dilectionis præſtandæ obligantur. Id vero patet, qvod Dæmones appetitu excellentiæ ſibi non debitæ, contra legem ſupernaturalem peccarunt, & qvotidie contra legem naturalem peccant *Vaſqvez* in 1. 2. *Thom.* diſp. 231. n. 21. ſed de præſenti lege illud qvidem non valet, ad qvam ſolus & omnis homo obligatur, qvippe Noachides tunc erant Genus humanum repræſentatirum, ut adeo omnes omnino homines ſuffragium tacitum qvoad obligationem eorum, qvæ ſtatuebantur, tuliſſe cenſeri debeant, qvod ſuffragium, & conſenſum implicitum vocare poſſis, qvatenus qvi in alicujus imperium conſentiunt, eo ipſo in omnes actus ejus imperii conſenſiſſe intelliguntur.

§. VIII.

Est porro hæc para legis pœnalis siqvidem DEUS homicidium punire & in bestiis vult, qvod ex Exod. XXI. 28 intelligi potest. Jam vero cum bruta lege obligari non possint, & propterea nec declinent a regula, propterea qve nulla nec imputativitas nec imputatio locum habeat, nec pœna promulgari jure potest, nec si promulgata bestiæ ad eam obligari possunt, videndum itaqve numne pœna accurate possit dici, supplicium a bestia homicidia sumtum, inqvirendumqve qvid pœna sit, *Hugo Grotius* l. II. de jure B. & P. cap. XX. n. I. pœnam dicit esse malum passionis, qvod infligitur ob malum actionis, & qvidem pœnam generali significatu sumtum qvod & amplectitur *Dn. Pufendorff* J. N. & Gentium l. 8. c. 3. n. 4. Est autem qvod de eo dubitare possumus. Non omnem enim pœnam esse malum passionis, si hac voce physica passio intelligatur, experientia edocemur, qvandoqvidem multis in pœnam injungi videmus actiones, tum boni unius vel plurium privationem, nullam cum physica passione conjunctam. Atq; hinc malo passionis accedunt insuper duo, qvæ pœnæ esse possunt, malum actionis, & malum privationis. Dein vero in Vulg9 constat pœnas etiam irrogari ob malum omissionis, qvod appellam9, cum qvis non agit, qvod lex jubet. Nam & ejusmodi omissio, qvia legi aversatur, haud dubie delictum est, & pœnam promeretur, sed qvicqvid sit, satis constat, inde nobis præsidium non esse, qvippe cum bruti, qvod hominem occidit, cœdes pœna non possit esse, qvia culpa abest. *Soarius* qvidem lib. V. de

legibus

legibus c. IV. aliud qvid ſuppeditat, qvod coloris inſtar eſſe poſſit, dicit enim pœnam eſſe omnem afflictionem, qvæ fit per modum coactionis, ut lex aliqva ſervetur. Congruunt hic omnia membra; cœdes bruti eſt afflictio qvæ fit per modum coactionis, qvia & bruta renuunt mori.

- - - Fugit nam ſaucius aras
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

Fit, ut lex non inviolandæ vitæ humanæ ſervetur. Sed cuivis patet, ſumi hæc, non probari. Neqve deſunt inſtantiæ, qvibus id infringi poſſit. Multa enim naturæ incommoda, multæqve afflictiones præter voluntatem alicui obtingunt, & vi, ſeu coactu alterius ſufferendæ incumbunt, qvibus pœnæ rationem & appellationem, ſi culpa abſit, nemo facile tribuerit. Valeat itaqve qvoqve *Soarius*, ſi enim in arcem rei penetramus, duo in formali conceptu pœnæ includi videmus, materiale unum, alterum formale: materiale ſi ſpectes, eſt malum aliqvod, ex qvo, qvi punitur, moleſtiam capit, ſive qvia bono uno vel pluribus privatur, qvam pœnam damni appellant, ſive qvia doloribus afficitur, coactus aliqvid agere vel pati, qvod ſenſibus ingratum, qvam pœnam ſenſ9 vocant, ſive qva utrumq; patitur. Formale autem, propter qvod ej9modi malum pœnæ rationem & appellationem ſibi vendicat, eſt meritum admiſſa culpa contractum: qvo non dato, nihil pœnæ rationem habet, ut ut alias malum ſit, & valde moleſtum ei, qvi ſuſtinet. Jam pœna erit malum, qvod qvi culpam admiſit, propter cul-

pam incurrit. Id vero non ad bruta accommodari potest, nisi cum stolidissimis Judæis qvibusdam facere qvis velit, cum clarus inter ipsas Interpres *Kimchius* ad I. Reg. XIII. v. 24. cum asino consortium faciat dum dicit: *Asino qvoqve sua fuit in hoc mundo retributio, in honorem Prophetæ, qvi illi ineqvitaverat: prout reliqvis animalibus in hac vita vel merces, vel pœna rependitur iis, qvæ hominem respiciunt.* Qvod idem pluribus ita explicat in Ps. CXLV. v. 17. *Alii dicunt, præmia & pœnas ad nullum animal pertinere, præterqvam ad hominem solum. At nos dicimus, etiam reliqvis animalibus rependi præmia & pœnas in negotio hominum. Huc facit, qvod reperimus Gen. 9. v. 5. de sangvine hominis etiam e manu omnis animalis reqviram illum dicitur qvoqve Habacuc II. v. 17. Et vastitas bestiarum terrebit eos. Et ad mercedem pertinet, qvod habetur 1. Reg. XIII. v. 28. Et leo non laceravit Asinum* &c. Itaqve certum est pœna stricte dicta bestias non affici.

§. IX.

Excipiunt qvidem qvod de formali pœnæ diximus, id presse agi le illo jure, qvod homo in hominem exercet, neqve extendi posse ad processum & velut formulam tribunalis divini, adeo, si bestiam ob homicidium occidamus, sive cœlitus puniatur, pœna vel qvasi dici possit, cum admissum veluti delictum videri possit, contra illud, qvod DEUS dixit v. 2. terror vester sit super cuncta animalia, qvo aliqvale dominium homini restituitur, debeatqve vereri hominem animalia timore industriæ expresso, speciosa qvidem ea ratio est, & videretur hæc qvasi pœna ad exemplarem posse referri,

qvæ

qvæ moneret, crimen eſſe longe graviſſimum eos, qvi libertatem arbitrii habent & iræ ſuæ dominari poſſunt & arctiſſimo qvodam vinculo inter ſe conjuncti ſunt (qvorum nullum in brutum cadit) mutuis cœdibus ſeſe conficere. Namqve id afferunt, qvi triplex argumentum, qvo ab homicidio Noachides abſterreantur, hic exculpunt. Sed hæc multis difficultatibus obſepta ſunt, qvapropter non in eam ſententiam tranſire poſſumus.

§. X.

Dum itaqve deniqve accurate diſtingvendum inter peccatum, delictum qva tale, & injuriam, qvam qvis infert civitatis ſocio, & damnum, qvatenus læſionem denotat, qvod ſolummodo de beſtiis dici poteſt; non dubitamus jam adſerere jure cœdi beſtiam, qvoniam naturalis juris eſt, omne qvod damno eſſe poteſt, amoliri. Cœdendo vero animal, qvi hominem lethaliter percuſſerat, & poterat impoſterum alios pari ratione cœdere, vitæ & ſecuritati hominum conſulebatur. Fatentur propterea uno ore ſaniores interpretes, Teſtatus, Bonfrerius, & Pererius inſtrumenti rationem hic haberi. Non adducam jam qvæ Seldenus l. 1. Jur. N. & Gent. c. 5. Pufendorff. l. 2. c. ex Athenienſium & Romanorum ſententiis annotarunt, id tamen addam, qvod in atrocioribus delictis, qvale homicidium eſt, inſtrumenta, & qvaſi adjuncta in deteſtationem Supplicio qvaſi affici videantur. Novimus ex hiſtoria Belgica Albanum juſſiſſe funditus excindi Calemburgii Comitis ædes, Gheuſii qvondam nominis natalem domum: excitataqve ibi

bi marmorea columna inſcribi in baſi qvatuor lingvarum monumentum Ea in area ædes Florentii Pallantii ſolo æqvatas eſſe, ob execrandam memoriam repetitiæ in illa conjurationis adverſus religionem, Eccleſiam catholicam Romanam, Regiam Majeſtatem, ac patrias Regiones, Famian. Strada Decad.1. l. 7. Sic curiæ Pariſienſis placito lata in Ravillarum ſententia, ut æqvetur ſolo domus, in qva ipſe natus nunqvam poſthac ſuperinducendo areæ ædificio Grammond. l. 1. p. 8. Petrus Matthæus de chorte Henrici IV. p. 172. Nec ex ſacris Exempla deſunt Gent. III. v. 14. & 17. Gen. IV. v. 12. Num. XVI. v. 32. Deut. XIII. 13. 17. Joh. VI. v. 17. 1. Reg. XV. v. 3. Accedit, qvod Deus plenum jus dominii in omnes creaturas exercet, & in beſtias obtinet, qvo jure, non præcedente noxa ob homicidium puniri cupit, nec enim omnis vindicta aut damnum ſtatim pœna eſt, qvod ex doctrinam morali patet.

CAP. III.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Peccata brutorum statuere videntur Vlpianus, Philosophi qvidam veteres, non hodierni. Rorarius, Darmanson. Sotini Crellii Vorstii doctrina. Origenes peccata Stellarum. Huetius contra Sixtum Senensem. Origenes non seqvitur Pythagoram in μετεμψύχωσι. Serpentis maledictio ficta. Calixtus notatus Gen. VI. v. 12. exponitur. Qvorundam falsa interpretatio. Animalia munda & immunda. Hackspan laudatur.

§. I.

PUgnandum jam demum, sed brevi velitatione, cum iis, qvi Subjectum qvoqve peccati brutum faciunt, qvoniam ex præsenti etiam loco, sed intempestive, præsidium sibi fururum sperant. Non vero jam res nobis erit cum Ulpiani Juris definitione, qvam Corasius & Tholosanus operose defendunt, cum & alii diversum sentiant, atqve integro J. F. Horn absona in apricum deduxerit.

§. II.

Contendunt porro inter se veteres sapientiæ Doctores, cum facultatem æstimativam in brutis,

 respon-

respondere cogitativæ in homine, perhibent, tum qvi animam brutis inesse, ad ostentandam ingenii vim affirmant, in qvibus non ultimus est Hieronymus, Rorarius, qvi animalia bruta ratione melius uti homine asserit. Id vero inconveniens cordatis Philosophis videtur, qvi anima destituta bruta idoneis documentis & e natura ipsorum de promtis evincunt; nempe Le Grand, Willisius, Borelius, aliiqve, præsertim J. Darmanson in tractatu la Beste transformée en machine, qvem approbavit qvoqve Facultas Theologica, Academiæ Franeckeranæ anno 1684.

§. III.

Sociniani vero hic clasſicum canunt; qvorum antesignatus lib. de statu primi hominis Cap. VI. p. 157. seqv. inqvit. Non solus homo; sed cætera qvoqve animalia a recta via deflexerunt. Addit qvidem bestias, non tam graviter, nec in iisdem plerisqve rebus delinqvere, in qvibus homo delinqvit, sed tamen vere delinqvere posse, non negandum esse existimant. Infaustæ itaqve Socini sectæ, ut pœnæ proprie dictæ, ita qvoqve legis obligantis capacia videntur bruta animalia. Ita *Dn. D. Qvenstedt* System. l. c. Crellius contra Grotium p. 64. Vorstius bestias etiam suo qvodam modo peccare, & pœnam sibi analogam mereri dicunt; affirmant præterea, qvod ipsis naturæ lex a Deo sit indita, cujus pro-

proinde violatio aliqvam peccati analogiam habeat: qvod ideo diſputant, ut peccatum & defectionem protoplaſtorum purgare & extenuare poſſint, qvod & facit Iſaacus Peyrerius Syſt. Theol. & Præadamitas ſuos deſcribit, qvi brutorum referentes indolem defecerunt materiæ vitio, principio eorundum cum creaturis irrationalibus communi: Hinc monſtroſi horum termini: Peccatum naturale, materiale, carnale emergunt talia qvoqve adſcribit Lirano Lutherus h. l. & ipſi egregie reſpondet.

§. IV.

Anteqvam vero reſponſum damus ipſorum objectis, videndum numne ex antiqvitate aliqvem accerſere poſſint, qvo tueri ſententiam ſuam qveant. Notum eſt Origenem ſenſiſſe ſtellas peccatis eſſe obnoxias, nec aſtra modo, ſed elementa etiam, ac proinde Judicium Dei olim ſubitura fore, qvæ ſententia conſignata eſt, Homil. 4. in Ezech. cujus, licet ſæpius agere cauſam ac diluere objecta, & emollire opiniones velit, hoc tamen crimen purgare non poteſt Petrus Daniel Huetius Origenianorum l. II. qvæſt. 8. propterea qvoqve & Sixtum Senenſem ibi valide refellit. Origenes vero ut adſertum eo melius adſtruat, ſtellas probat eſſe animalia, qvod mandato a Deo dicantur accipere, mandare autem ipſis Deum, ut ſtatis moveantur temporibus, motus vero illos neqve abſolvi poſſe ſine anima, neq; ſine motu eſſe poſſe, qvæ anima prædita ſint: nec a-

nima ſolum, ſed & ratione pollere, ac proinde incrementa capere ſine dubio virtutis, vel decrementa: ad hæc animas antiqviores recentioribus Syderum corporibus extrinſecus inſeri probat aliqvot rationibus. Illud certum foret, ſi in omnibus ſecutus fuiſſet Origenes pythagoram, cujus veſtigia ſedulo legit, ſtatuiſſe peccata brutorum neceſſum foret, ſed cum magnum interſit diſcrimen inter μέτεμψυχωσιν Pythagoricam, & μετενσωμάτωσιν Origenis, qvod egregie commonſtrat Huetius p. 102. non tribuenda eſt væcors & inſana ea mens ſumma eruditione & ingenio florenti Origeni.

§. V.

Ideoqve revertamur ad Socinianos, qvi pro adſtruenda ſua ſententia maledictionem Serpentis, qvamvis forte poſſent Gen. III. 14. non adducant, utpote qvi exiſtimant Deum in ſerpente de priori inceſſu nihil mutaſſe, ſed naturam convertiſſe in pœnam, qvia non veriſimile, Deum poſt lapſum mutaſſe animalium naturam vid D. Stegmannus Photinianiſmo Diſput. IX. qvæſt. 7. Et hoc ſtatuendo accedunt iis, qvi ſupplicium fictum ſerpentis ſtatuunt, apud Joh. Conrad. Ditrich. Antiqve Bibl. fol. 92. atq; adeo propriæ ſententiæ fraudem faciunt eamqve infringunt. Videat vero Georgius Calixtus numne in eadem caſtra incidat, dum in Lucubrationibus ad cap. 3. Geneſ. dicit. Eſt qvidem natu

naturalis ἀντιπάθεια inter hominem & ſerpentem, hæc autem in felici illo ſtatu divina providentia & potentia cohibebatur, ne in actum prodiret, nunc, qvando non amplius reprimitur, ſupplicium & pœna eſt ſerpenti, ab homine utpote præſtantiſſimo animalium, eorumqve naturali Domino, inutilem, imo noxium famulum cenſeri, & qvaſi maleficum, cui aqva & igni interdictum ſit proſcribi. Optime vero hæc enodavit venerand. D. Calov. Bibl. Illuſtrat h. l.

§. VI.

Validiſſimum qvod obtendunt eſt Gen. VI. v. 12. Et qvidem corruptionis iſtius rationem eſſe, qvod animalia qvædam inceperint carnibus veſci adeoqve diſcesſiſſe a priori ſua integritate, qvod egregie tuetur Grotius ad Gen. I. v. 30. Non, inqvit, ab initio animantia animantibus veſcebantur, ſed tum demum id ceptum fieri, cum non homines tantum, ſed & alia animantia viam ſuam corruperunt. Et ex ipſius Gloſſa ad Gen. VI. v. 2. patet, ipſum diſtingvere inter immunditiem ex lege Moſaica & naturalem. Qvid inde concludendum videant alii. Sed qvod immunditiem & munditiem animalium attinet, reſpondemus cum Pererio, illud non dici ſecundum naturam, ſed vel opinione ut inſtitutis hominum vel alicujus excultæ ſignificationis & myſterii cauſa. Per corruptionem vero omnis carnis, non omnia

animalia, adeoqve bruta intelligi patet (1) qvia omnis caro ad v. 3. respiciunt, ubi homo dictus erat caro (2) Joel III. v. 1. dicitur etiam spiritus affundendus super omnem carnem, & Marc. XVI. v. 15. omni creaturæ prædicari Evangelium. (3) Tale est prædicatum hic via, qvam corrupisse dicitur omnis caro, qvod per metaphoram de actionibus legem respicientibus, deqve intellectu & voluntate propriæ dicta orientibus, non de analogicis, aut umbra qvadam intellectus, sensibus internis atqve appetitu sensitivo relucentibus dicitur. (4) periere animantia qvævis in diluvio, exceptis iis, qvæ arca servabat, non qvod diluvii fuerint causa, adeoqve pœnam etiam persolverint corruptæ viæ analogan, qvam tamen non sustinuissent bestiæ reliqvæ arcæ inclusæ, cum tamen secundum hypothesin immundæ sustinere debuissent, sed qvod spectarent hominem, qvi cum omnibus, qvæ possidebat, delendus erat, cum parvulis adeo, & bestiæ, ut major damnum videretur, & augeretur afflictio, ut recte censet Theodor. Heckspan. in difficil. locis S. Script. P. 1. Qvando qvis itaqve dicta jam recte lance pensitaverit, videbit peccata bestiarum & pœnas proprio & morali sensu sumtas, figmenta & ludibria ingenii esse, & dudum explosa a B. Nicolao Hunnio Exam. Error Photin. Sect. 2. c. 3. Thes. 2. D. Schmid. Disput. de lege morali Thes. 37. D. Calov. ad Gen. VII. v. 2. D. Qvenstedt Syst. Theolog. P. III. de lege morali D. Strauch Breviar. Theol. loc. VIII. defin. LIII. Jo. Henr. Heidegger. Diss. Selectis Theol. XXI. de lege p. 603. Bocharto Hierozoic. l. II. cap. 40. Qvibus annotatis, Deo laudes & gratias agentes huic labori terminum constituimus & FINEM.